



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

1. An Confessarius absolvens aliquem sine jurisdictione teatur monere pœnitentem de defectu? Idme est, si sine sufficiente dispositone pœnitentis eum absolvit, aut non obligavit ad restitutionem ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

cuerint, attento solo decreto capituli: *Cum infirmitas, de pœnit. & remis.* illorum tamen ratio locum etiam habet post motum proprium Pij Quinti, nam si ea desertio est contra charitatem, nihil contra charitatem intendere debuit Pius Quintus in suo motu proprio. Ita Fagund. cui adde Fragosum *de Republica tom. 1. l. 5. disp. 13. §. 9. n. 222.* Escobar *de Mendoza in Theol. mor. tr. 1. exam. 7. c. 3. n. 86. in fine.*

5. Non deseram hic obiter adnotare, aliquos docere teneri Medicum per se, vel per alium nunciare mortem infirmo, quam præcognovit cito, & certo venturam, quando talis prænunciatio proderit valde animæ infirmi, nec adhuc disposuit de bonis suis, & confitebitur si forte habuerit conscientiam de mortali, in quo eventu tenetur, secus si probabiliter credit, quod prænunciatio mortis parum, aut nihil pro-

futura sit infirmo; eo quod de bonis animæ, ac fortunæ jam disposuerit; tunc enim damnosa erit corpori, semper tamen bono corporis, bona animæ sunt præferenda. Ita Joan. de Neap. *quodl. 1. 1. quem sequitur Tabien. verb. Medicus n. 15.* & Sylvest. *cod. verb. n. 4. vers. quartum,* ubi subdit ad id teneri Medicum, etiam quando dubitat an hæc prænunciatio profutura sit, necne, quia in dubio debet, si potest commodè homo avertere à proximo suo damnum notabile. Quare non est standum dicto Galeni, dicentis Medicos erga infirmos deploratos debere semper sanitate spondere, quia hoc non procedit, nisi quando nunciatio esset valde nociva; vel potius dicendum est Galenum fuisse loquutum tanquam conscientium vitæ temporalis, & omnino vitæ spiritalis ignorantem. Sic Sylvest. *suprà.* Vide Fragos. *ubi suprà. n. 224.*

*In indice primo hujus Tom. I. Lege Apendicem ad hunc Tract. III. Ubi invenies alias plures difficultates mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quæ simul pertinent ad hunc Tract. III. de Sacram. Pœnitentiæ.*



## TRACTATUS QUARTUS DE ABSOLVTIONE SACRAMENTALI.

*Et etiam moribundis sensibus destitutis largienda.*

### RESOL. I.

*An Confessarius absolvens aliquem, sine jurisdictione, teneatur monere pœnitentem de defectu?*

*Idem est, si sine sufficienti dispositione pœnitentis eum absolvit, aut non obligavit ad restitutionem faciendam ad quam debebat illum obligare. Ex p. 11. tr. 4. & Misc. 4. Ref. 9.*

Sup. hoc primo casu ut in annotatione posita infra in §. Sed hanc, & signanter in §. Hæc omnia hujus Ref.

Pro secundo casu in §. Sed. hujus Ref. ad lin. 11. & §. ult. Pro tertio casu infra prope finem §. Sed hanc.

hujus Ref. & magis late infra in tr. 6. Ref. 22. & in aliis veris ejus not.

Sup. hoc infra in fine §. Hæc omnia. hujus Ref. & in alio §. ejus annot.

Sup. hac bona fide lege latam doctrinam infra Refol. 9. per totam, & aliarum ejus notationum.

**Q**Uærens A s u s curiosus, & practicabilis, & ad illum negativè respondet novissimè Joannes Pont. in *Cur. Toel. disp. 46. q. 111. concl. 6. n. 149.* ubi sic ait; Quæres quomodo se gerere debet Confessarius quando sine jurisdictione absolvi, aut sine sufficienti dispositione pœnitentis; aut non obligabat ad restitutionem faciendam, ad quam debebat obligare, & quam propterea pœnitens non faciet, quia putat se non esse obligatum ad illam faciendam. Quantum ad defectum ob carentiam jurisdictionis, quando absolutio ex illo capite est invalida.

2. Respondeo, mihi probari sententiam Antonini, Sylvestri, Navatri, ac Joannis Valeri, non teneri confessarium ad aliquid significandum pœnitenti; sed sufficere, quòd satisfaciatur Deo pro proprio peccato, nisi pœnitens esset in statu, in quo verisimiliter non crederetur postea ullo modo cōfessus ulla peccata.

3. Ratio est, quia quamvis non sit verè absolutus, nisi habuerit contritionem, tamen cum præcedat bona fide prima sequenti confessione erit in statu gratiæ, non obstante priori defectu: quia peccata tum malè confessà, condonabuntur indirectè postea virtute alterius Confessionis sequentis.

4. Unde non videtur fieri ipsi tantum malum, ob quòd Confessarius deberet infamare se dicendo, quòd absolverit malè.

5. Dixit autem, nisi pœnitens esset in statu, &c. quia tum periculum damnationis æternæ pœnitentis

sufficenter obligaret Confessarium ad significandum defectum proprium.

6. Dices cum Joanne, Medina, Soto, Corduba, Valquez, Suarez, quos sequitur Cardinalis de Lugo, eum qui est causa alicui non observandi præcepti divini propter ignorantiam quam causavit in ipso, debere tollere illam ignorantiam, præsertim si potest sine gravi damno. Sed Confessarius sic absolvens, est causa cur pœnitens non confiteatur validè sua peccata, ut tenetur ex præcepto divino; quia putans se validè absolutum, ignorat se teneri ad confitenda iterum ea peccata: ergo.

7. Probatur major, quia si quis diceret alicui, obligato ad audiendam Missam, quòd non esset obligatus, aut quòd fornicatio simplex non esset prohibita, deberet postea significare contrarium.

8. Respondeo, distinguendo majorem, quando non observavit illud præceptum sufficienter, quantum est ex parte sua concedo, quando observavit, nego majorem, & consequentiam, quia pœnitens in nostro casu jam satisfecit, quantum est ex parte sua, præcepto de confitendis illis peccatis. In casu autem Missæ, & fornicationis non solum non observabit præceptum, sed committet actum oppositum.

9. Possit etiam distingui major alio modo, quando periculum esset, quòd si non tolleretur ignorantiam, alia similia peccata lapsius committerentur, aut venirent in cognitionem erroris illius, qui causavit ignorantiam, aut aliquid aliud detrimentum grave succederet, concedo; quando non, nego.

10. In casu autem ignorantie de obligatione audiendi Missam, & fornicationis, & de prohibitione fornicationis, illud periculum esset, non verò in casu confessionis invalidæ ex defectu jurisdictionis in Sacerdote. Hanc responsonem præfero priori, & videtur mihi valde notanda. Hucusque Pontius, cui adde Joannem de Soria in *epilogo summarum p. 2. tract. 1. sect. 1. disp. 6. §. circa casus reservatos,* cujus verba alibi adduxi.

11. Sed

11. Sed hanc sententiam ego alibi non admisi, & nunc iterum non admitto, est enim contra communem sententiam Doctorum, demptis aliquibus, & ita me citato tenet Leander de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 11. q. 134. unde in re tam gravi non gravabor hic apponere verba sapientissimi Jacobi Granadi in 3. part. D. Thoma contr. 7. tract. 10. disp. 10. num. 5. Tertius (asserit) defectus committi potest in aliquo essentiali sine quo Sacramentum poenitentiae fuit nullum, ut si poenitens absolutus esset sine dolore requisito, aut Confessarius absolvisset sine jurisdictione; & tunc non est dubium, quin teneatur Confessarius vocare poenitentem, & petita licentia detegere veritatem, & curare ut legitime confiteatur; excusari tamen aliquando possit Confessarius ab hac obligatione, si inde resultaret sibi damnum, quod praponderat, ut bene Suarez scilicet. 6. num. 7. notat autem Ledesma in tractat. de poenitentia cap. 22. dub. 6. tam pro hoc casu, quam pro aliis, in quibus tenetur Confessarius monere poenitentem, petendam esse ab eo licentiam (nisi forte iterum ad confitendum eidem revertetur) quia sine illa non potest agere cum illo de rebus in confessione jam peractis extra confessionem; unde si nolit poenitens eam concedere; liber erit Confessarius ab obligatione, quod ego verum puto saltem, quando Confessarius nihil positivè dixit poenitenti, unde proveniret damnum tertiae personae, nam si dixisset mala fide, & peccando lethaliter, cum non teneret ad restituendum, videbitur Confessarius obligatus ad restitutionem, si poenitens non restituat; Si verò id dixit bona fide, & non peccando lethaliter, non tenebitur ad restituendum; addit etiam Ledesma, & bene, si poenitens sit absens, monendum esse per litteras à Confessario, dicente se habere negotium non levis momenti, quod cum illo tractari oportet, & obtenta licentia tractabit, non verò aliter.

12. Hac omnia Granadus loco citato; addam etiam hic verba Remigij in pract. confess. tr. 5. c. 5. §. 20. n. 3. ubi sic ait; [Quando el confessor absolvo el penitente de algunos casos reservados sobre que no tenia autoridad, deve procurarla del superior, y pedir licentia del penitente para hablarle acerca de su confession y absolverle, si esto se puede hazer sin escandalo porque aliàs le ha de dexar en su buena fe; y como dize Henriquez, no avisarle nada de su absolucion invalida, porque se puede creer que ya esta en gracia, por la que diò el confessor de los pecados, sobre que tenia autoridad, y jurisdiccion directa, y de los reservados indirectamente. Fuera de que semejante persona se ha de constituir en gracia por otra confession con qualquier Sacerdote que la haga, haziendole de attrito contrito, y conseqüentemente no padecera niugun daño espiritual de la absolucion antecedente. Es tambien buen consejo, que el confessor que cometio algun yerro en la confession, procure si el penitente se viene a caso à reconciliar, dezirle dissimuladamente, se acuse de todo lo que otra vez se acusò y absolverle; nam hoc fatis est, ut nova absolutio cadat in totam illam materiam superiorem, que illi uno verbo sufficienter nunc explicatur. Bien es verdad que si el penitente estuviere enfermo, y cercano à la muerte quedaria el confessor obligado el avisar le del defecto cometido, y azer que se confessasse nuevamente por amor del peligro de su alma, si muriesse con la invalida absolucion.] Ita ille.

13. Nota verò, quod etiam est tenendum ex Pontio, ubi supra n. 150. Quantum ad defectum Confessarii; ex eo quod ejus culpa poenitens non significaverat omnia sua peccata, aut circumstantias ex se

necessarias; si defectus fuit talis, ut ejus occasione poenitens verisimiliter committeret similem errorem iterum, ut Confessarius diceret, non esse necessario exprimendas circumstantias mutantes speciem, aut numerum peccatorum; tenetur admonere poenitentem si absque gravi detrimento poterit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter commisit defectum; quia hoc exigit charitas, ut scilicet caveat errorem proximi in re tam necessaria, praesertim cum ipse fuerit causa ipsius. Excusabit autem ad hoc grave detrimentum, quia illi errori potest cavere in aliis confessionibus per alium Confessarium, quem credibile est non omisurum interrogare de similibus circumstantiis, aut numero, si ipsemet poenitens omittat illa specificare.

RESOL. II.

An sit valida absolutio sacramentalis collata sub conditione de praeterito, vel futuro?  
Et an si quis impenderet absolutionem sacramentalem dicendo: Ego tibi peccata remitto, condono; remittuntur tibi peccata: Sacramentum absolutionis tibi impendo, an, inquam, peccet mortaliter?  
Ex part. 1. 1. tract. 4. & Misc. 4. Ref. 18.

§. 1. **R**espondeo cum communi, quod sic, modo conditio sit de praeterito, aut praesenti de re quae verè est, vel fuit, ut absolvo te si habes dispositionem requisitam; si possim te absolvere; si restitueris heri quod debebas.

2. Ratio est, quia talis conditio nec suspendit effectum Sacramenti, nec reddit poenitentem incertum alio modo quam esset incertus si daretur absolutio sine illa conditione, & praeterea, de facto datur quandoque Baptismus cum conditione, si non sit baptizatus.

3. Existimo tamen non valere formam cum conditione de praesenti, aut praeterito de re, cujus existantia non potest moraliter cognosci nec à Sacerdote, nec à poenitente, cum tamen si daretur absolute magis essent certi de absolutione; v.g. si quis diceret; Ego te absolvo, si Alexander Magnus fecit aliquid, de quo nulla habetur noticia in historiis, aut si Magnus Turca jam dormiat: nam & absolutio data cum talibus conditionibus esset ridicula, nec est verisimile quod Deus instituerit pro forma Sacramenti formam ridiculam.

4. Et praeterea forma Sacramenti debet esse ex natura sua talis, ut explicatione ipsius si cognosceretur, Ecclesia, & ipsemet poenitens, ac Sacerdos absolvens possit moraliter cognoscere Sacramentum valide collatum fuisse, modo poenitens fuerit bene dispositus.

5. Si verò conditio sit de futuro, ut absolvo te si cras restitueris; aut absolvo te, si sol cras oritur; aut si Antichristus sit futurus; major est in resolvendo difficultas.

6. Hiquæus existimat conditionem de futuro, quod certo cognoscitur pro praesenti futurum, non impedire validitatem absolutionis; eam verò, quae est de futuro incerto impedire.

7. Conink verò, & Cardinalis de Lugo putant utramque esse invalidam, quia utraque aequè suspendit effectum Sacramenti.

8. Sed contra, nam conditio de futuro certo: ut ita dicam, non ita ex natura sua suspendit, quin Ecclesia possit colligere reum esse absolutum, & revera illa conditio si Antichristus sit futurus, aequivalet huic: si verum sit, quod Antichristus sit futurus; Unde conditio est de praesenti veritate futurationis

